



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

De Svbscriptionibvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

Can. 19.
Pauliani
an rebapti-
zandi.

Bellarminum libro 4. de euch. capite 4. Possuinum in app. sacro. *Si qui confugiant ad ecclesiam.*] Pauliani, reliquæ & sectarii Pauli Samosatani, de quo supra in Concil. duobus Antiochenis pluribus egimus; hi, si ad ecclesiam redire contendant, rebaptizari iubentur, non ut iterato baptismo abluantur, sed quod horum ministerio baptisma ipsis collatum initio nullum fuerit, ideo quia forma eadem qua vitur ecclesia, per expressam scilicet S. Trinitatis inuocationem, non fuerit administratum. Nam in fide S. Trinitatis, quod necessario fieri debet, haud dubie non baptizarunt, qui Christum purum hominem esse docentes, gloriosissimæ Trinitatis mysteria abnegarunt. Id quod de Nouatianis tempore Stephani pontificis contra Africanos constitutum fuit, huic Canoni nihil obstat. Hi enim forma legitima baptizati ante fuerant, ideoque ipsos per iteratum baptismum in ecclesiæ communionem recipere, sacrilegum fuisset, iuxta ea, quæ hac de re copiose scripsimus in notis ad Canonem apost. 46. & seqq. in Concil. Afric. 3. & Can. 8. Concil. Laodicensi supra.

Cur Noua-
tiani non
sint rebapti-
zandi.

Diaconissa.] Diaconissa quæ, & cur sic appellatæ fuerint, vide quæ notauimus ad Can. 11. Conc. Laodicensi.

Causa addi-
te appendi-
cis.

Quoniam sunt in Dominica die.] Die Dominico Quartadecimari resurrectionis Dominicæ immemores genua flectebant non aliter, quam reliquis diebus profectis. Itaque horum occasione ad decretum de celebrando Paschate, hæc appendix addita fuit, ut sanctum diem Dominicum omnes æquis ritibus peragerent, memoresque se cum Christo resurgente, a morte animæ resurrexissent in spem vitæ æternæ, omnes fideles die Dominico stantes vota persoluerent. Vide Baron. an. 325. num. 115.

DE SVBSCRIPTIONIBVS.

Ofius, Vi-
tus ac Vin-
centius le-
gati pontifi-
cis.

De numero episcoporum eorum qui huic Concilio interfuerunt, supra egimus in principio: hoc loco de celebrioribus qui eidem præsentibus adfuerunt, pauca subiiciemus. Inter eos qui subscripsisse leguntur, Ofius Corbudensis occidentalis ecclesiæ in Hispania episcopus, vir doctissimus, virtutum præstantia, in rebus agendis dexterritate, prudentia, & confessionis gloria clarissimus, Siluestri pontificis personam gessit, eiusque legato primario fungitur cum Vito & Vincentio Romanæ ecclesiæ presbyteris. Vide ea quæ diximus supra verbo *Oecumenicum*. Item quæ de Ofio diximus in notis ad subscriptiones Concil. Elibertini.

Alexandri-
nus patriar-
cha.

Alexander patriarcha Alexandrinus, vniuersæ ecclesiæ catholicæ clarissimum decus & ornamentum, innumeris ferme sanctorum elogiis prædicatus, totius agminis quasi dux, ille est, qui primus omnium aduersus Arii impietatem & blasphemiam sublime vexillum erexit. Vide notas vtriusque Concilii Alexandrini supra præcedentis.

Antioche-
nus patriar-
cha.

Eustathius Antiochenæ ecclesiæ primatum tenens, propter insignem virtutum ac doctrinæ excellentiam, ex Bercoensi ad Antio-

ANNO
CHRISTI
325.

ANNO
CHRISTI
325.

ANNO CHRISTI 325.
 tiochenam ecclesiam translatus, celeberrimus fidei confessor, pro fide exulans, & demum in exilio occumbens, ex tot tantisque sanctissimis episcopis delectus est, vt in eodem sacro Concilio publicas Deo gratias ageret. Hic est, qui, vt ait B. Hieronymus, clarissima tuba in aduersarios bellicum cecinit. Vide quæ diximus supra de confeslu episcoporum, verbo *Trecentorū*. Item notas ad epist. Anteri.

Macarius Hierosolymitanæ ecclesiæ patriarchali honore venerandus antistes, quartum locū post legatos Pontificis occupans, ipsis Arianis attestantibus, acerrimus fidei Nicænæ propugnator extitit, ideoque ab ipso Ario apud Eusebium Nicomediensem in crimen adductus.

Macarius Hierosolymitanus episcopus.

Potamon Heracleæ in Ægypto episcopus ille est, qui in persecutione Maximini, illo nimirum certamine, quo Eusebius Cæsarensis episcopus Potamonis concaptiuus sibi de oculo effodiendo metuens, præsidique obtemperans, timore mutilationis fidem abnegauit, ob egregiam Christi nominis confessionem altero oculo effosso priuatus, atque ita pro Christi nomine sacris stigmatibus condecoratus, tandem post Meletium contemptum, causam eius desertam, postque Arii hæresim grauiter impugnatam, sub Philagrio Ariano præside sæuissimo, infracto animi robore martyrium consummauit.

Potamon.

Eusebius Pamphilidem negat.

Paulus Neocæsareæ episcopus, qui tempore persecutionis Licinii ob insignem fidei confessionem manuum, neruorum, & quod magis horrendum est, genitalis membri ferro candente admoto combustionem, vt scribit Theodoret. lib. 11. cap. 7. perpeffus, de impietate prostrata victoriæ trophæum secum portauit.

Paulus Neocæsareensis.

Iacobus Nisibenus in Mesopotamia episcopus, vir plane apostolicus, scripto & doctrina celebris, & mortuorum suscitator, fidei sub Maximino insignis confessor.

Iacobus Nisibenus.

Leontius Cæsareæ Cappadociæ antistes, columna ecclesiæ ab Athanasio nominatus, angelicæ vitæ imitator, propheticæ spiritu commemorabilis, qui dum iter haberet ad hanc Synodum, Gregorii Nazianzeni patrem & baptismo lustrauit, & futurum episcopum denuntiauit. Testis est Gregorius Nazianzenus orat. in funere patris habita. Sanctus igitur Basilius memoria lapsus est epistola 82. qua Hermogenem Leontii successorem huic Concilio interfuisse scribit.

Leontius Cæsareæ Cappadociæ episcopus.

Aristeus episcopus Armeniæ, quem rectius Arostanem nominaueris, successor illius Gregorii Armeni, qui regem maioris Armeniæ ad fidem conuertit, eumque cum imperatore Constantino ad idololatriam destruendam, & Christianam religionem propagandam incitauit. Errat igitur Nicephor. lib. 8. cap. 14. vbi ait, Gregorium Arostanis prædecesorem huic Concilio interfuisse.

Aristeus Armeniæ episcopus.

Eutychnus Amasenus episcopus, Basilei martyris successor, ab ipso secundum præcedentes prophetias designatus.

Eutychnus.

Theophilus.] Præsentia & subscriptio Theophili Gothorum episcopi indicat eos qui apud Gothos Christiani erant, tempore

Concil. Tom. 2.

Hh

huius Nicæni Concilii omnes catholicos fuisse, & permanisse tales usque ad Phritigernis defectionem, qui in gratiam Valentis imperatoris mendacio Eudoxii Ariani, nullam differentiam inter catholicos & Arianos esse asserentis, deceptus, cum quibusdam tantum catholicis a vera & orthodoxa fide ad Arianismum defecit. Unde patet verum esse quod ait S. Augustinus lib. 18. ciuit. cap. 52. *Rex Gothorum in ipsa Gothia persecutus est Christianos crudelitate mirabili, cum ibi non essent nisi catholici, quorum plurimi martyrio coronati sunt.* Adeoque falsum esse, quod scribit Sozomenus lib. 6. cap. 38. eos qui in persecutione Gothica, authore Athalarico excitata, martyrium subierunt, Arianos fuisse, imperioque Phritigernis Ariani paruisse. Illud etiam quod ibidem de Gothorum prima ad fidem conuersione per Vulphilam facta, eorumdemque cum eodem Vulphila a fide catholica defectione tempore Constantii imperatoris, & Concilii Constantinopolitani primi, peracta scribit, commentitium esse, hoc eodem argumento conuincitur.

Inter celebriores, quorum nomina subscripta non sunt, primas iure meritoque tenuit

Paphnutius
miraculis
clarus.

Paphnutius Thebaidos superioris episcopus, apostolicis miraculis clarus, qui verbo demones fugabat, ægros sola oratione curabat, cæcis visum reddebat, & paralyticos ad itabilitatem corporis reuocabat; ideoque sub persecutione altero oculo orbatus, & sinistri poplitis excisionem passus est. Hunc Constantinus in tanta veneratione & affectu habuit, vt sæpius eum intra palatium euocatum complecteretur, & oculum illum, qui illi in confessione fidei euulsus erat, auidioribus osculis demulceret. Ita Rufin. lib. 1. cap. 4. Socrat. lib. 1. cap. 7. & 8.

Spyridon
confessor.

Spyridon Tremithuntis, alias Irimituntis, in Cypro episcopus, ob insignem fidei confessionem, post dexteri oculi euulsionem, & sinistri poplitis succisionem, ad metalla damnatus, multorum mirabilium operum patror, & sacrarum scripturarum admirabilis propugnator, celeberrimus huius Concilii defensor, Theodoreto & Rufino attestantibus, eidem interfuit. De quo duo hæc memoratu dignissima sunt. Primum, quod philosophos & sophistas, qui ob famam tam celebri Conuentus, ad ostendendas ingenii sui vires, & ad insultandum Christianæ religioni, ad Nicæam conuenerant, admirabili quodam modo confutauerit. Alterum hoc memorabile est, quod ex homine agresti & ouium custode episcopus creatus, Triphyllium virum eloquentissimum, quem ante ad fidem Christi miraculis perduxerat, in Synodo perorantem, & loco verborum Christi, *Tolle grabatum tuum*, dicentem, tolle lectum tuum humilem, obiurgauerit ideo, quod verbis Christi vti dedignaretur, & eloquentia efferretur. Sozom. lib. 1. cap. 11.

Spyridon
scripturæ
defensor.

Alexander
episcopus
philosophos
clin-
guauit.

Alexandrum Constantinopolitanum episcopum huic Concilio interfuisse, eisdemque philosophos, de quibus supra, solo verbo elingues reddidisse ac confutasse, scribunt Rufinus libro 1. cap. 5. Sozom. lib. 1. cap. 7.

ANNO
CHRISTI
325.

Nicolaum episcopum Miræ in Lycia, cuius sanctitas illustri exemploque loco semper fuit, cum aliis pluribus sanctitate ac doctrina conspicuis episcopis interfuisse, ex probatissimis aliis scriptoribus ostendit Baronius anno 325. num. 20. vsque ad 47. inclusivæ.

Nicolaus
Mirensis.

Adde, quod sicut olim cum venissent filii Dei, ut assisterent coram Domino, inter eos satan etiam adfuit; ita, in hoc eodem sanctissimo patrum confesso astitit idem diabolus in membris suis hisce: Eusebio Nicomediensi episcopo, Eusebio Cæsareensi, Paulino Tyri, Theognidi Nicæno, aliisque pluribus, quos recenset Baron. hæreticis, qui licet magna ex parte huic Concilio subscripsisse legantur, tamen cum id in gratiam imperatoris non tam veritatis, quam gloriæ & dignitatis suæ amore fecerint, ut constat ex iis quæ supra diximus, verbis *contra hæreses Ariænorum*, certum est, quod supra diximus, eos hac Synodo absoluta euectigio fidem præuaricatos, Arium secutos esse. Vide Baronium num. 40. & 41. Possuin. in app. sacro, verbo *Nicænum Concilium*.

Qui hæretici
Concilio
interfuerint.

Quod duos episcopos iam vita defunctos huic Concilio per miraculum subscripsisse scribunt Gregorius presbyter in orat. de magna Nicæna Synodo, & Nicephorus lib. 8. c. 23. quodque de Acetio Nouatianorum episcopo lib. 1. hist. eccles. cap. 7. refert So- crates, ex eo de fide suspectum redditur, quod Athanasius, Hilarius alique plures, qui nihil plane intactum reliquerunt, quo insultantem Arianam hæresim oppugnare possent, harum historiarum nullam mentionem fecerint.

An post
mortem
quidam
Concilio
subscri-
pserint.

DE FINE CONCILII.

Absoluta Synodo, patres Concilii per literas ad Siluestrum Romanum pontificem scriptas, constitutionum suarum, iuxta Canonem apostolicum, quo, ne decreta aliqua absque sententia episcopi Romani in ecclesia fanciantur & promulgentur, prohibitum est, ut refert Socrat. lib. 2. cap. 13. confirmationem petunt, & impetrant: de qua confirmatione in notis ad Concil. Roman. 3. quod sequitur, plura dicemus infra. Epistola synodalis ad Siluestrum, & Siluestri ad Synodum, extant apud Pisanum lib. 4. Eusebius deinde oratione quadam habita, Constantinum imperatorem laudat. Imperator vero episcopos omnes, ob insignem victoriam contra hostes ecclesiæ obtentam, munificentissime excepit, eosque amplissimis muneribus donavit: clericis, virginibus & viduis per multas prouincias certum frumenti numerum suppeditari mandauit: dexteros oculos episcoporum in persecutione effossos pie exosculatus est; certo sibi persuadens, se sanctorum stigmatum exosculacione sacratissimam benedictionem consecuturum. Tandem, quos summis fauoribus & studiis persecutus fuerat, admonitione pietatis & amoris plenissima ad pacem & concordiam tranquille conseruandam, præuia, singulos a se dimisit. Vide Baronium anno Domini 325. num. 171. & sequentibus.

Quid abso-
luta Syno-
do gestum
fuerit.

Concil. Tom. 2.

Hh ij